

In morſibus & puncturis venenatorum animalium utitur veſicantibus etiam *Ambroſ. Paræus lib. 25. de medicament. facult. & composit. cap. 33. & Forestus obſervat. lib. 30. in ſchol. ad obſ. 11. ad mentem neotericorum in morſu vel iſtâ omnium venenatorum animalium*, prægreſſâ in principiô & primis diebus ſupra locum læſum forti ligatione, & ipſius loci adfecti ſacrificatione emplaſtra commendat attractoria ex ſtercoribus columbarum, ſinapi, cepis & aliis actu calidis parata; imò *cantharides* ipſas cum unguentô apoſtolicô vel fermentô ipſi loco adplicat, venenumque educit ſalutariter. Audax enim ſis, *inquit*, in attrahendo, quoniam, ſive morſus fuerit venenofus, ſive non, conferet egregiè.

Ad morſum canis rabidi præſtare talia, quæ veſicas excitant, notat *Heurnius lib. de morb. capitis cap. 14.*

Sic ad puncturas etiam apum duplici nomine commendat *Riverius centur. 3. obſerv. 14.* veſicantia ex cantharidibus parata, *tum*, quòd ſint ſpecies muſcarum, quarum quædam admotæ venenum attrahant, dolorémque ſedent; *tum* quòd attrahendi virtutem habeant potentiffimam. Tali dolore in cartilagine ſiniſtræ auris acutiſſimum, à punctione apium dependentem curavit feliciffimè & brevi temporis ſpatiô, emplaſtrô, auri admotô. Propter moram autem exiguam nullæ quidem veſicæ excitatæ ſunt; effectus tamen ſalutaris ſecutus eſt.

TANTUM!



Chir. 355, 46